

Thom., qui hoc art. 4, ad 1, loquens de illo tempore dicit: *Tunc non erat necessaria, nec materia nec forma hujus sacramenti.* Deinde esset falsa forma; quomodo enim dicere poterant: *Confirmo te chrismate, si chrismate non utebantur?* aut unde constat, eos signasse signo crucis magis, quam unxisse chrismate? Denique sicut in Actis Apostol. solum legimus: *Imponebant manus super illos,* ita etiam solum legimus: *Oraverunt pro ipsis.* Sicut ergo propter priora verba negatur, eos usos fuisse chrismate, ita propter posteriora negandum erit eos usos fuisse præscripta forma verborum, sed sola deprecatione pro suo arbitrio et Spiritus Sancti instinctu. Quocirca ita sentiendum est in hoc dubio, sicut in præcedente de unctione, et ideo qui opinatus fuerit, Apostolos semper usos fuisse integro sacramento, dicere consequenter debet, in illis verbis Actor. 8: *Oraverunt pro ipsis,* vel non significari verba formæ, sed præambulam orationem, formam autem comprehendendi sub manus impositione, ut Actorum etiam 19; vel certe formam ipsam posse orationis nomine significari, non quia deprecativa tantum sit, sed quia virtualem deprecationem continet, quatenus divinæ virtuti et promissioni innititur, sicut supra est de sacramentis in genere dictum.

ARTICULUS V.

Utrum sacramentum confirmationis imprimat characterem (4, dist. 7, quæst. 2, art. 1, quæst. 1, et q. 3, art. 3).

1. *Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod sacramentum confirmationis non imprimat characterem. Character enim importat quoddam signum distinctivum. Sed per sacramentum confirmationis non distinguitur homo ab infidelibus; hoc enim fit per baptismum; neque etiam ab aliis fidelibus, quia hoc sacramentum ordinatur ad pugnam spiritualem, quæ omnibus fidelibus indicitur. Non ergo in hoc sacramento imprimitur aliquis character.*

2. *Præterea, supra dictum est (quæst. 63, art. 2), quod character est quædam potentia spiritualis. Potentia autem non est nisi activa vel passiva. Potentia autem activa in sacramentis, confertur per sacramentum Ordinis; potentia autem passiva sive receptiva, per sacramentum baptismi. Ergo per sacramentum confirmationis nullus character imprimitur.*

3. *Præterea, in circumcissione, quæ est character corporalis, non imprimitur aliquis spiritualis character. Sed in hoc sacramento*

imprimitur quidam character corporalis, dum scilicet homo chrismate signatur signo crucis in fronte. Non ergo imprimitur in hoc sacramento character spiritualis.

Sed contra, in omni sacramento, quod non iteratur, imprimitur character. Sed hoc sacramentum non iteratur; dicit enim Gregor. (refertur de Consecr., d. 5, c. 9): De homine, qui a Pontifice confirmatus fuerit, denuo talis iteratio prohibenda est. Ergo in confirmatione imprimitur character.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (q. 63, art. 2), character est quædam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata. Dictum est autem supra (art. 4 hujus quæst.), quod sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio in vitam christianam, ita etiam confirmatio est quoddam spirituale augmentum, promovens hominem in spiritualem ætatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitæ, quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio, quæ competit ei, cum ad perfectam ætatem pervenerit. Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, præter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit. Sed in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei; sicut patet ex exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in cœnaculo perseverantes in oratione; postmodum vero egressi, non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei christianæ. Et ideo manifestum est, quod in sacramento confirmationis imprimitur character.

Ad 1 ergo dicendum, quod pugna spiritualis contra hostes invisibiles, omnibus competit. Sed contra hostes visibiles, id est, contra persecutores fidei pugnare, nomen Christi publice confitendo, est confirmatorum, qui jam sunt perducti spiritualiter ad virilem ætatem, secundum quod dicitur, 1 Joan. 2: Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei in vobis manet, et vicistis malignum. Et ideo character confirmationis est signum distinctivum, non infidelium a fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his, quibus dicitur: Sicut modo geniti infantes.

Ad 2, dicendum, quod omnia sacramenta sunt quædam fidei protestationes. Sicut igitur

baptizatus accipit potestatem spiritualem ad protestandum fidem per susceptionem aliorum sacramentorum, ita confirmatus accipit potestatem publice fidem Christi verbis profitendi, quasi ex officio.

Ad 3, dicendum, quod sacramenta veteris legis dicuntur justitiæ carnis (ut patet Hebr. 9), quia scilicet interius nihil efficiebant. Et ideo in circumcissione imprimebatur character solum in corpore, non autem in anima. Sed in confirmatione cum character corporali imprimitur simul character spiritualis, eo quod est sacramentum novæ legis.

Hic articulus explicatus est in his, quæ supra tractavimus de characterem in communi quæst. 63, et pauca addemus disputatione sequente, præsertim, quod hoc sacramentum non possit iterari, quod attigit hic D. Thom. in argum. Sed contra.

ARTICULUS VI.

Utrum character confirmationis præsupponat characterem baptismi (4, dist. 7, quæst. 2, art. 1, quæst. 3, et dist. 24, quæst. 1, art. 2, quæst. 3 et 4).

1. *Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod character confirmationis non præsupponat ex necessitate characterem baptismalem. Sacramentum enim confirmationis ordinatur ad constendum publice fidem Christi. Sed multi etiam ante baptismum sunt fidem Christi publice confessi, sanguinem fundentes pro fide. Ergo character confirmationis non præsupponit characterem baptismalem.*

2. *Præterea, de Apostolis non legitur, quod fuerint baptizati (præsertim, cum dicatur Joan. 4, quod ipse Christus non baptizabat, sed discipuli ejus), et tamen postea fuerunt confirmati per adventum Spiritus Sancti. Ergo similiter alii possunt confirmari, antequam baptizentur.*

3. *Præterea, Actor. 10 dicitur, quod, adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus super eos, qui audiebant verbum, et audiebant eos loquentes linguis. Et postea Petrus jussit eos baptizari. Ergo pari ratione possunt alii prius confirmari, quam baptizentur.*

Sed contra est, quod Rabanus dicit in lib. de Institut. cler. (4, c. 30, in prin., et habetur de Cons., dist. 5, c. 5): Novissime a summo sacerdote, per impositionem manus Paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum.

Respondeo dicendum, quod character con-

firmationis ex necessitate præsupponit characterem baptismalem, ita scilicet, quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret iterato ipsum confirmari post baptismum; cujus ratio est, quia, ita se habet confirmatio ad baptismum, sicut augmentum ad generationem, ut ex supra dictis patet (art. 4 hujus quæst.). Manifestum est autem, quod nullus potest promoveri in ætatem perfectam, nisi primo fuerit natus. Et similiter, nisi primo aliquis fuerit baptizatus, non potest sacramentum confirmationis accipere.

Ad 1 ergo dicendum, quod virtus divina non est alligata sacramentis. Unde potest conferre homini spirituale robur ad constendum publice fidem Christi absque sacramento confirmationis, sicut etiam potest conferre remissionem peccatorum sine baptismo. Sicut tamen nullus consequitur effectum baptismi sine baptismi voto, ita nullus consequitur effectum confirmationis, sine voto ipsius, quod potest haberi etiam ante susceptionem baptismi.

Ad 2, dicendum, quod sicut Augustinus dicit ad Seleucianum (ep. 108, a med., tom. 2), ex hoc quod Dominus dicit, Joan. 13: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, intelligimus, Petrum et alios Christi discipulos fuisse baptizatos, sive baptismo Joannis (sicut nonnulli arbitrantur) sive, quod magis credibile est, baptismo Christi; neque enim renuit ministerium baptizandi, ut haberet et baptizatos servos, per quos cæteros baptizaret.

Ad 3, dicendum, quod audientes prædicationem Petri acceperunt effectum confirmationis miraculose, non tamen confirmationis sacramentum. Dictum est autem (art. 4 et 2.) quod effectus confirmationis potest alicui conferri ante baptismum, non autem sacramentum confirmationis. Sicut enim effectus confirmationis, qui est robur spirituale, præsupponit effectum baptismi, qui est justificatio, ita sacramentum confirmationis præsupponit sacramentum baptismi.

COMMENTARIUS.

Materia hujus articuli pertinet ad disputationem trigesimam quintam de suscipientibus hoc sacramentum; et ideo, solum hic pauca notabimus circa solutionem ad 4, cætera enim facilia sunt. Nam conclusio ejus certa est, scilicet characterem confirmationis supponere characterem baptismi, quod intelligendum est secundum legem ordinariam, vel seclusa divina dispensatione; an vero hæc interdum

data seu facta sit, quod attigit hic D. Thom. in solutione ad 3, in dicto loco dicemus. De Apostolis vero, quod tangitur in solutione ad 2, quod fuerint baptizati baptismo Christi, antequam confirmati in die Pentecostes, tractatum est supra in materia de baptismo.

2. *Difficilis D. Thomæ locus explicatur.* — In solutione ergo ad 1, difficilia sunt illa verba D. Thom. : *Sicut nullus consequitur effectum baptismi sine baptismi voto, ita nullus consequitur effectum confirmationis sine voto ipsius, quod potest haberi etiam ante susceptionem baptismi.* Hæc enim verba intelligi non possunt de effectu characteris, quia neque character confirmationis, nec character baptismi obtineri potest sine reali susceptione sacramenti, per solum votum ejus, ut in superioribus dictum est; et constat, quia aliat per votum talis sacramenti fieret homo incapax realis susceptionis sacramenti, quia, qui habet characterem, jam non est capax ejusdem sacramenti; hæc enim de causa iterari non potest sacramentum illud, quod characterem imprimit; necesse est ergo D. Thom. loqui de effectu hujus sacramenti, qui est gratia seu gratiæ auxilium sufficiens vel efficax ad publice confitendum fidem, et in hoc sensu est difficilis assertio D. Thomæ, quia sacramentum confirmationis non est medium simpliciter necessarium ad prædictum effectum, tum quia oratio ex fide et charitate facta potest esse medium sufficiens ad obtinendum a Deo illud auxilium ex merito operantis; tum etiam quia sacramentum confirmationis absolute non est in præcepto; potest ergo homo habere animum nunquam suscipiendi hoc sacramentum absque peccato, et nihilominus cum divina gratia publice confiteri fidem; ergo ille consequitur prædictum effectum absque voto hujus sacramenti, quia propositum non recipiendi sacramentum directe pugnat cum voto ejus. De hac difficultate expositores D. Thomæ, Cajet., Soto, Ledesma et Sebastian. nihil attigerunt; solus Soto addidit, verba D. Thom. non oportere intelligi de speciali voto. Nam votum, inquit, baptismi, in quo includitur generaliter recipere postea sacramenta juxta ritum Ecclesiæ, sufficit. Sed hoc ipsum falsum videtur, in voto baptismi necessario includi votum recipiendi alia sacramenta, sed solum illa, quæ fuerint necessaria ad salutem, saltem ex præcepto, quod virtuale votum non tam est in voto baptismi, ut sic, quam in actu dilectionis Dei super omnia, vel proposito ser-

vandi omnia præcepta. Et præterea loqui possumus de homine jam baptizato, et non confirmato, in quo jam non est votum baptismi, sed realis baptismus; in quo procedit argumentum factum, quod potest nullum habere votum confirmationis, et nihilominus firmus in fide persistere, illam publice confitendo, et martyrium etiam pro Christo subeundo. Dico ergo, aut D. Thom. interpretandum esse de voto quodam metaphorico et improprio, quod in baptismo vel baptismi voto includi dicitur, ut latius infra dicam, de necessitate Eucharistiæ disputans, quod in hoc solum consistit, quod, qui habet baptismum, consequenter habet jus quoddam ad sacramentum confirmationis, Eucharistiæ et alia; et sicut perfectibile appetit suam perfectionem, ita baptismo initiatus confirmationem, quasi naturali appetitu potius quam elicitio; vel, si hæc expositio nimis violenta videtur, plane confitendum videtur, per se loquendo, necessarium esse fidei, saltem ex necessitate præcepti, recipere sacramentum confirmationis, si commode potest, saltem in eo articulo, in quo urget necessitas publice confitendi fidem coram tyranno, nam sine hoc præcepto non potest intelligi necessitas illius voti, quod D. Thom. requirit; illo autem posito, recte sequitur eum, qui nondum hoc sacramentum confirmatus fidem publice confiteri cogitur, non posse consequi effectum hujus sacramenti, id est, auxilium ad confitendam fidem, sine voto hujus sacramenti, quia non obtinebit illud auxilium, si non sit in gratia, et habeat animum servandi omnia præcepta. Et adhuc juxta hanc expositionem est observandum, D. Thom. non dicere, in eo casu consequi hominem talem effectum gratiæ per votum hujus sacramenti, seu per ipsum sacramentum in voto; sed solum non consequi talem effectum, sine tali voto; quod valde diversum est; nam ad hoc posterius sufficit quædam necessaria conjunctio, vel ad summum, quod illa sit quædam dispositio necessaria; illud autem prius significat, talem effectum dari intuitu hujus sacramenti, et in ordine ad illud, quod non video, cur sit necessarium, aut quo fundamento affirmari possit; et argumentum supra factum videtur oppositum probare; nam idem genus gratiæ seu auxilii potest variis mediis obtineri; et non est necesse unum ordinare ad aliud, vel excludere alia. Unde fit, ut homo confirmatus, præter auxilium debitum ratione sacramenti, possit alia nova impetrare per sua

merita et orationes sine ordine ad hoc sacramentum; ergo similiter qui non est confirmatus potest impetrare aliqua auxilia omnino diversa a gratia sacramentali confirmationis sine ordine ad ipsum sacramentum confirmationis, quamvis non sine aliquo voto illius. Quocirca comparatio ad baptismum, quam D. Thom. facit, non debet secundum æqualitatem intelligi, sed secundum quamdam similitudinem et proportionem.

ARTICULUS VII.

Utrum per sacramentum confirmationis conferatur gratia gratum faciens (4, dist. 7, q. 2, art. 2).

1. *Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod per hoc sacramentum gratia gratum faciens non conferatur. Gratia enim gratum faciens ordinatur contra culpam. Sed hoc sacramentum sicut dictum est (art. præced.) non exhibetur, nisi baptizatis, qui sunt a culpa mundati. Ergo per hoc sacramentum gratia gratum faciens non conferatur.*

2. *Præterea, peccatores maxime indigent gratia gratum faciente, per quam solam justificari possunt. Si ergo per hoc sacramentum gratia gratum faciens conferatur, videtur, quod deberet dari hominibus in peccato existentibus, quod tamen non est verum.*

3. *Præterea, gratia gratum faciens, specie non differt, cum ad unum effectum ordinatur. Sed duæ formæ ejusdem speciei non possunt esse in eodem subjecto. Cum ergo gratia gratum faciens conferatur homini per baptismum, videtur, quod per sacramentum confirmationis, quod non exhibetur, nisi baptizato, gratia gratum faciens non conferatur.*

Sed contra est, quod Melchisedes P. dicit (in ep. ad Hispaniarum Episc., a med., illius, tom. 4 Concil.) : Spiritus Sanctus in fonte baptismi plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam.

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramentum, sicut dictum est (art. 1, 2 et 3 hujus quæst.), datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur, sicut Apostolis datus est in die Pentecostes (ut legitur Act. 2), et sicut dabatur baptizatis per impositionem manus Apostolorum, ut dicitur Act. 8. Ostensum est autem in 1 p. (q. 43, art. 3) quod missio seu datio Spiritus Sancti non est, nisi cum gratia gratum

faciente. Unde manifestum est, quod gratia gratum faciens conferatur in hoc sacramentum.

Ad 1 ergo dicendum, quod gratiæ gratum facientis primus effectus est remissio culpæ. Habet tamen et alios effectus, quia sufficit ad hoc, quod promoveat hominem per omnes gradus usque in vitam æternam, secundum illud Rom. 6 : Gratia Dei vita æterna. Unde et Paulo dictum est 2 Cor. 12 : Sufficit tibi gratia mea. Et ipse de se dicit 1 Cor. 15 : Gratia Dei sum id quod sum. Et ideo gratia gratum faciens non solum datur ad remissionem culpæ, sed etiam ad augmentum et firmitatem justitiæ. Et sic conferatur in hoc sacramentum.

Ad 2, dicendum, quod sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur ad confirmandum quod prius invenerit, et ideo non debet dari his, qui non habent gratiam. Et propter hoc, sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per penitentiam reparatis. Unde dicitur in Aurelianensi Concilio (habetur de Consecr., d. 5, cap. Ut jejuni) : Ut jejuni ad confirmationem veniant, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere. Et tunc per sacramentum perficitur penitentia effectus, sicut et baptismi, quia per gratiam collatam in hoc sacramentum, consequitur penitens plenior remissionem peccati. Et si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramentum consequetur remissionem peccatorum.

Ad 3, dicendum, quod, sicut dictum est (quæst. 62, art. 2) gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam, aliquid effectivum specialis effectus, ad quod ordinatur sacramentum. Si ergo consideretur gratia in hoc sacramentum collata, quantum ad id, quod est commune, sic per hoc sacramentum non conferatur aliqua alia gratia, quam per baptismum, sed quæ prius inerat augetur. Si autem consideretur, quantum ad illud speciale, quod superadditur, sic non est ejusdem speciei cum ipsa.

Littera D. Thom. satis perspicua est, et doctrina ejus fere est exposita in his, quæ de effectibus sacramentorum in genere supra disputata sunt, et pauca addemus disputatione sequente.